Sixtus Papa Quintus, ad perpetuam rei memoriam.

VT literæ, & gratiæ Apoſtolicæ ſublatis quibuſvis impedimentis, & obſtaculis ſuum conſequantur effectum libéter interponimus ſolicitudinis noſtræ partes. Nuper ſiquidem dilectorum filiorum Conſulum Iuratorum, Rationalis, & Syndici Civitatis Valentin. ſupplicationibus in ea parte inclinati, Præpoſiturarum menſis Februarij, quæ & undecim ſingulorum aliorum mẽſium Præpoſituræ olim in Eccleſia Valentin. pro totidem Præpoſitis, qui annuatim, fructibus, redditus, & proventus menſæ Capitularis dictæ Eccleſiæ recolligerent, & inter illius Canonicos pro tempore reſidentes diſtribuerant inſtitutæ undecim alijs Præpoſituris huiuſmodi poſtmodum Apoſtolica auctoritate ſuppreſsis, & extinctis earumque fructibus, redditibus, & proventibus eidem menſæ dicta auctoritate applicatis, & appropriatis certo tunc expreſſo modo vacantem per alias noſtras litteras perpetuo ſuppreſsimus, & extinximus, ac illius, & aliarum Præpoſiturarum prædictarum loco, in dicta Eccleſia decem & octo alias Præpoſituras, quæ ibidem ſimplicia officia, ſeu beneficia exiſterent pro totidem Præpoſitis ſex videlicet pro Primarijs, & ſex ſecundarijs, ac reliquis ſex tertiarijs Cathedraticis nuncupandis, qui habitum, & inſignia, per olim Præpoſitos menſium huiuſmodi geſtari ſolita, geſtare, & deferre, ac ad illorum inſtar ſtallum in Choro, necnon locum in proceſsionibus, cæteriſque actibus publicis, & privatis omnibus, & quibuſcunque (non tamen Capitularibus) dictæ Eccleſiæ immediatè poſt illius Canonicos, iuxta ordinem eis ad id præſcribendum habere, necnon apud dictam Ec-

Narra la ereccion de las Pabordrias.

clesiam residendo, & divinis Officijs interessendo, omnibus, & singulis distributionibus quotidianis tam diurnis, quàm nocturnis, alijsque Juribus, obventionibus, & emolumentis in quibuscumque rebus consistentibus, & quocumque nomine nuncupatis, non tamen ex fructibus, redditibus, & proventibus aliarum undecim suppressarum Præpositurarum hujusmodi dictæ mensæ, ut præfertur applicatis, provenientibus, necnon privilegijs, indultis, facultatibus, honoribus, præeminentijs, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, cæterisque gratijs tam spiritualibus, quam temporalibus quibus Præpositi mensium hujusmodi qui pro tempore fuerant ratione dict. Præpositurarum suppressarum apud dictam Ecclesiam Valent. residendo, & divinis Officijs interessendo frui, potiri, & gaudere poterant, & debeant, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, potiri, & gaudere possent, & deberent, & quorum sex inprimis, & alij sex in secundis, & reliqui sex in tertij singulatum facultatum Theologiæ, & utriusque Jurisprudentiæ hujusmodi Cathedris eis ad id assignandis easdem facultates pro una videlicet matutinis, altera vero medietatibus decem & octo Præpositorum hujusmodi promeridianis horis publicè legere, & interpretari tenerentur dicta auctoritate perpetuò ereximus. Illisque sic erectis pro earum dote, & illas pro tempore obtinentium sustentatione omnia, & singula fructus, red. pro. jura, obventiones, & emolumenta suppressę Præposituręmensis Februarij hujusmodi per dilectos filios Capitulum dictę Ecclesiæ inter Præpositos Cathedraticos prædictos tantummodo certo modo, forma, & ordine distribuenda per Nos præscriptis, & ordinatis perpetuo applicavimus, & appropriavimus, prout in nostris inde tertio Kal. Novembris Pontificatus nostri anno primo, confectis litteris, plenius continetur. Cum autem sicut accepimus Canonici, & Capitulum dictæ Ecclesiæ, sub prætextu quod dudum antea omnes, & singulę Præposituręomnium mensium in dicta Ecclesia existentes ex tunc in futurum pro tempore vacaturę per olim Archiepiscopum, & Capitulum Valentin. suppressæ, & extinctæ, ac illarum fructus, red. & pro. dictæ mensę Capitulari applicati, ac suppressio, ex-

Refiere el motivo del pleito que contra ella moviò el Cabildo.

extinctio, & applicatio sic ab Archiepiscopo, & Capitulo præfatis factę, per bo. me. Raynutium tituli S. Angeli Presbyterum Cardinalem, & Maiorem Pœnitentiarum confirmatæ fuissent. Quodque ex erectione dictarum decem & octo Præpositurarum, cum asignatione distributionum quotidianarum, ac facultate gestandi insignia Canonicalia, ac alijs privilegijs, & gratijs eisdem Præpositis Cathedraticis per Nos concesis præjudicium dictis Canonicis, & Capitulo fieret, & jus eis competens tolleretur, litem, & causam coram delicto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, seu ejus incibilibus Locumtenent. contra Juratos Rationalem, & Syndicum præfatos super Præpositura mensis Februarij, per Nos suppressa, & extincta, illiusque fructibus, red. pro. Juribus, obventionibus, emolumentis, ac prætensa subreptione, & obreptione literarum nostrarum prædictarum, rebusque alijs in actis causæ, & causarum hujusmodi latius deductit introduxerint, & ibidem pendeat indecisa. Nos de meritis causæ hujusmodi, & alijs contingentibus plenè edocti, ac prædictas, & omnes alias prætensiones ipsorum Canonicorum, & Capituli adversus literas nostras prædictas, & in eis contenta quæcumque illorum omnium vim, & effectu nullius ponderis, vel momenti esse censentes. Ac proinde attendentes suppresionem, extinctionem, applicationem ab Archiepiscopo, & Capitulo, ut præfertur factas, suumque effectum nunquam sortitas, & subsequutam dicti Raynutij Cardinalis illarum confirmationem tanquam sub diversorum Rom. Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Cancellarię Apostolicæ regulis similium suppresionum, & applicationum, quæ suum non erant sortitæ effectum revocatorijs comprehensas in hujusmodi Præpositura mensis Februarij, tanquam post Constitutiones revocatorias hujusmodi, tempore Pontificatus nostri vacante, & sic per Nos suppressa locum sibi vendicare non potuisse, neque posse, aut debere. Et propter ea Consules Juratos, Rationalem, & Syndicum, nec non pro tempore existentes Præpositos Cathedraticos prædictos, ab hujusmodi, & quibuscumque molestijs, & litibus eximere, & immunes præstare volentes, tenoresque dictarum literarum

Extingue el pleyto cô perpetuo silencio.

rum omnium præſentibus pro expreſsis habentes univerſam cauſam prædictam in quibuſcumque ſtatu & terminis illa reperiatur à prædicto Auditore, ſeu illius Locumtenente, ac quibuſcumque alijs Judicibus Ordinarijs, & Delegatis, harum ſerie ad Nos perpetuo avocamus, & extinguimus, ac Canonicis, & Capitulo prædictis, cæteriſque cauſam, & intereſſe prætendentibus perpetuum ſilentium imponimus. Nec non Auditori, ſeu Locumtenenti, & alijs Judicibus prædictis, ne in cauſa hujuſmodi de cætero procedant, quin etiam Canonicis, & Capitulo prædictis, alijſque cauſam, & intereſſe prætendentibus, ſeu habentibus, ne præmiſſorum, aut alio quocumque prætextu, vel occaſione contra litteras prædictas, quas in magnum cultus divini Univerſitatis Studij generalis Regni Valent. ac Religionis Chriſtianæ, & dictæ Eccleſiæ ſplendoris, & ornamenti augmentum manatas pręmiſsis, & alijs quibuſcumque prætenſionibus validas eſſe, & ſuos plenarios effectus ſortiri debere volumus, quicquam in judicio, vel extra illud contendere, illarumque vim, & effectum impedire, vel retardare quoquomodo præſumant ſpecialiter, & expreſsè prohibemus Decernentes præſentes literas ex quacumque cauſa, quantumvis legitima, juſta, & urgenti, etiam ex eo quod ipſi Canonici, & Capitulum, ac quicumque alij intereſſe habentes ad id vocati non fuerint, ſeu etiam enormis, & enormiſsimæ læſionis prętextu de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu ab alio, vel alijs impetratis, vel conceſsis uti nullatenus poſſe, eaſque ad probandum plene omnia, & ſingula præmiſſa ſufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. Sicque per dictum Auditorem, ſeu Locumtenentem, ac quoſcumque alios Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter conti-

Pone las clauſulas preſervativas.

Ordena al Nuncio, y à los Juezes executores que no permitan que los Pabordres ſean moleſtados en la delacion del abito Cano-

ti-

tigerit attentari. Quo circa ven. fratribus Moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in partibus Hispaniarum Nuncio, & Episcopo Oriolen. ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios eisdem Consulibus Juratis, Rationali, & Syndico auctoritate nostra assistentes faciant eos præmissis omnibus, & singulis juxta præsentium tenorem uti, frui, & gaudere; nec permittant Præpositos prædictos super distributionibus, ac delatione insignium Canonicalium, alijsque juribus per eosdem Canonicos molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo. Necnon legitimus super his habendis, servatis processibus, illos sententias, censuras, & pœnas ipsas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilij generalis de duabus dietis: dummodo quis vigore præsentium ad judicium ultra tres dietas non trahatur, & quatenus opus sit nostra de non tollendo jure quæsito, alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Ecclesiæ Valentin. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis Ecclesiæ Valentin. illiusque Capitulo prædictis, ac superioribus, & personis, necnon quibusvis alijs sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarium derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad

nical, distribuciones, y demàs privilegios.

Las clausulas derogatorias.

hoc

hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi; ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excomunicari non poſsit per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die xij. Octobris 1588. Pontificatus noſtri Anno quarto: -- Sumptum ex minuta originali Brevium Secretorum fel. rec. Sixti PP. V. collationatum concordat. M. A. Maraldus. ------------------------------------

Es copia del Privilegio de la que autorizada ſe halla en el Archivo de la Eſcrivania Mayor de Ayuntamiento de eſta Ciudad de mi cargo, con que concuerda, à que me refiero; y para que conſte donde convenga, en virtud de Acuerdo de eſta Iluſtre Ciudad, dì la preſente en Valencia en veinte y cinco dias del mes de Octubre de mil ſetecientos y diez y ocho años.